

quibus ut plurimum turba poëtarum delectatur: Verum théoriam quandam exquisitam et quantum fieri poterat breviter compositam, quae quoslibet dexteros medendi modos ratione protectos suppeditare valet. Praesertim a juventute adhuc magis eum modulata delectabat, quam soluta oratio, ut concisa quidem, at emphatica, quae propter modulatam carminum concinnitatem multo facilius menti imprimitur, nec facile evanescens in memoria permanet; in memoria ipsius praecipue, qui cum maximopere in adjuvandis aegrotis versabatur, plurima horum composuit quum per amplam urbem Dacorum curru vehebatur, vel ad aegrotantium domos commorabatur, memoria autem retinebat ad opportunum conscribendi tempus. Nec potuit postea soluta oratione haec explanare, declarareque adnotationibus, solvens ea, quae ambigua appareant, confirmansque authoribus consentientibus: quando enim valetudine corpus suum fruebatur, tum ille otio destituebatur; postea vero quum hoc fruebatur, destitutus erat valetudine. Etenim plusquam sexagenarius senex ista edidit et corpore debilitatus,